ANTONII KERKOETII AREMORICI

MASTIGOPHORVS PRIMVS, SIVE

ELENCHVS CONFVTATIONIS, quā Claudius Salmaſius ſub ementito nomine Animad-uerſis Kerkoëtianis oppoſuit.

PARISIIS,

M. DC. XXII.

CLAVDIO SALMASIO,

ANTONIVS KERKOETIVS Aremoricus Salutem.

CVM me ex vltimis Aremoricæ finibus in hanc vrbem domeſtica negotia traxiſſent, nihil antiquius habui, quàm vt de te (mi Salmaſi) deque Animaduerſis noſtris quamprimum cognoſcerem. De te, vtrum idem eſſes, qui tum eſſe videbare: an aliquid admonitione mea profeciſſes. De libro autem meo, ecquid à te lectus, cæteris, qui in hac vrbe plurimi ſunt, doctis viris probatus fuiſſet. Nam & tu placere vis populo, quas feciſti, fabulas, & nos, ſi quid edimus, publica illa commendatio delectat. Cognoui de meo primùm quod, ne glorioſus videar, prædicare ipſe non debeo. De te, id quod tua mihi cauſa multum dolet, didici; valde te hac caſtigatione mea commotum. Quid agas? Ita viuitur. Nos Aremorici ſumus, candidum ac ſimplex genus: de re quaque quis noſter ſenſus ſit, li-

berè dicimus; diſsimulare neſcimus. Non vt amici illi tui naſuti homines, ac veteratorij, qui cum te clanculum, ac tuam inſcitiam derideant, palam blandiuntur, ac virum doctum, & literatum prædicant. Iidem te in eas turbas coniecerunt, vnde expedire modo neque te poſſunt; neque vt poſsint, admodum curant. Itaque famoſum te tota Gallia fecerunt. Nemo eſt qui Tertulliani Pallium nominari cùm audit, non ad Salmaſii Notas illas ſtatim animo recurrat. Nemo qui earum cùm meminerit, à riſu temperare poſsit. Hoc tuis illis amicis, non nobis imputare, Salmaſi, debes; neque tantum vel illis deinceps, vel tibi ipſi de te credere.

Verùm ne crucia te obſecro anime mi. Non pol, quo quenquam plus amem, aut plus diligam eo feci; ſed ita erat res faciundum fuit. *Triduum in has vrbe vix egeram, cùm ſubitò affertur nuncius horribilis: tibi contra Antonium Kerkoëtium paratum iam eſſe librum; quo tu eius Animaduerſis non quidem reſponderes: quî enim poſſes? ſed conuitiis ac maledictis ei vicē referres. Quæ res deterrere alios peregrinos homines potuit, ne ibi, vbi offendiſſent, diutius hærerent, ea me, vt plus aliquanto quàm conſtitueram moræ iſtic facerem, perpulit. Statui non antea proficiſci,*

quàm librum tuum vidiſſem. Dedi interim operam, vt quoniam eadem, quæ me huc adduxerant, domum negotia reuocabãt, vnius foliј ſaltem haberem copiam. Actum eſt vt optaueram: vnum aut alterum à prælo recens accepi. Qui hoc mihi dabat, molem aiebat immanem eſſe libri. Iam enim ad viceſimũ, & eo amplius, operam eſſe perductã. Auidè quæ mihi erant allata percurri: & commodum in eum locum incidi; vbi tu Petauium agitas; & eius in Epiphanium Animaduerſiones vellicas: tũ de drachmis, ac denarijs, & minutis exilia quædam ac minuta diſputas. Ego qui me, & Petauium probè noſſem, quique eius ſcripta nonnulla, & poſtremas iſtas Animaduerſiones ſtudiosè legiſſem, primum illud mirari cœpi; cur tu pro Kerkoëtio Petauium habuiſſes. Quid enim? Nõ ſum ego Kerkoëtius? Non Aremoricus ille? Non Animaduerſorum librum ad tuas, Salmaſi, notas edidi? Non tibi denique res eſt mecum, ſi quid de Animaduerſis iſtis iraſcẽdum exiſtimas? Cur tu ab alio lapide petitus, alium inuadis, & allatras? Verumtamen declamas in Petauium, non minus quã in Kerkoetiũ, & in vtrumq; amens ac furibundus inuolas. Non te poſſum detinere pluribus. Iã enim in perẽdinũ veredario condixi. Quatuor iam dies ſunt, quod

ad me duo illa folia venerunt. Triduum quod erat, in excutiendis illis, ac refutandis poſui. Hodie quartus eſt, quo hæc ad te ſub noctem exarabam. Scis me Aremoricum eſſe: quæ natio, vti dixi, minimè mendax, & fuci expers eſt. Itaque non mentiar, & paucis quid de tuo illo poſtremo fœtu ſentiã, tibi perſcribam. Tu mihi quidem, Salmaſi, in primis illis ad Hiſtoricos notis, ac deinceps in Tertullianeis, homo futilis, & ſtupidus, & iudicio deſtitutus, ſed tamen homo videbare. In hac KerKoetij Confutatione, quantum ex paucis illis paginis coniicere potui, veruecem te, non hominem putaui. Scio & hæc, & iis plura vltro citroque per iracundiam, & impotentiam dici ſolere. Itaque minus fere, cùm ſimpliciter dicuntur, illis creditur. Quare deſinam intemperantius in te aliquid iacere: ac tibi ſedato & tranquillo animo conditionem iſtam feram. Audio te plures iam annos à Diuionenſi foro hûc abſtractum, vt ex regio fiſco annonam tibi curares, quæ tuam ſpem hactenus eluſit. Credo quia te doctum, & inſigniter eruditum putas, eo te iſtud impetraturum eſſe confidis. Tua autem, ſi qua eſt, omnis eruditio Grammaticis in ſtudiis, & vocabulorum vſu, ac peritia conſiſtit. Ne tu quidem hoc negabis ipſe. Proinde quod te plus cate-

ris in Grammatica ſcire ac videre cenſes, ideò dignum te liberalitate hac regia facis. Tuis te igitur de literis, de Grammatica te, inquam, Salmaſi, prouoco.

Quædam triduo illo ex duobus Confutationis tuæ foliis raptim ac celerrimè ſelegi, abs te ſupra omnem mortalium fidem imperitè, ac barbarè dicta: Et in eo quidem genere doctrinæ, de quo triumphare ac gloriari ſoles. Eſt enim de re Numaria præſertim: cuius te vel imprimis intelligentem prædicas. In ea igitur ipſa literaturæ parte multa dico paucis te paginis horribilia & intoleranda peccaſſe. Horum ſi tu vel vnum vtcunque purgaueris; ſi abs te extremæ ijs in rebus imperitiæ, ſtoliditatis, pluſquam aſininæ, ac brutæ ſtupiditatis opinionem deprecari potueris, ego me tibi ad annonam illam regiam curandam ſequeſtrem fore polliceor. Sin te grauiſſimis, certiſſimis, ac manifeſtiſſimis erroribus, hallucinationibuſque conuictum ita videris, vt ne hiſcere quidem audeas, noli expectare dum puerorum ac Grammaticorum turba attractum manibuſque cruribuſque, ab hoc artium domicilio ad Cauſidicorum te ſubſellia luto ac lapidibus Diuionem vſque proturbet. Vale, Salmaſi, & tuum velis nolis Kerkoetium ama.

AD LECTOREM.

NOndum confecta erat Salmaſianæ Conſutationis editio, cùm hæc ſcribebamus: & multa adhuc ſolia reliqua eſſe ferebantur. Neque enim is eſt Salmaſius, qui libello defungi ſoleat. Igitur contra Animaduerſa noſtra, quæ ſexto die ad ſummum abſoluimus, octo ferè menſibus vegrãde volumen parturiit. Cuius nos particulam quandam fortè nacti, eius Elenchum incredibili, & quanta maior eſſe non potuit, celeritate repræſentauimus. In iis paginis, quæ in manus meas incurrerunt, pleraque ad Petauium pertinebant; cuius in Animaduerſionibus paucula carpſit; quæ cùm videbis Lector, ſat ſcio, ridebis & hominem, fuiſſe mirabere tam à melioribus ſtudiis inopem, vt pro iſtis nugis, ſic quaſi pro aris & focis, internecinum prælium conſerat. Ea nos in anteceſſum prima hac velitatione diſcuſſimus. Cætera; quæ nondum in lucem, cùm hæc meditati ſumus, prodierant, quæque in Kerkoetium præcipuè directa ſunt, propediem, cum illa videlicet publicata fuerint, à nobis expecta.

ANTONII
KERKOETII
AREMORICI

MASTIGOPHORUS PRIMUS, SIVE

ELENCHUS CONFUTATIONIS, quam Claudius Salmaſius ſub ementito nomine Animaduerſis Kerkoëtianis oppoſuit.

Salmaſii immanitas, & ἀπανθρωπία, barbara κακοήθεια, plagium impudens.

CVM par in te ſit, Salmaſi, morum, & ingenij barbaries, prius illa morum, quo vitioſior eſt, quàm ingenij, caſtigabitur. Tu Petauium inceſſis, quod in Epiphanio quid eſſet ὀρμάζειν ignorare ſe dixerit. Importunè, ac barbarè. Sanè κυκλωπικῶς θεμιστεύεις. Vis hanc deinceps conditionem ferri tibi; vt quoties ignorabis aliquid, imperitiſſimus habearis? Hoc quidem mereris pro hac fœditate tua. Quid? an fraudi cuiquam mortalium eſſe debet, fateri quod p. 81.

neſciat? Tu ſolus es nimirum, qui ſcias omnia. Agedum igitur; cum immania tua peccata, hallucinationes, Arcadicæ, & aſininæ ceſpitationes fuſtibus obiurgabuntur, tergum tuum compara ἀνδρεικῶς, & νευστικῶς, vti fortem κανθήλιον decet. *Poteras*, inquit, *diſcere ex illo Salmaſio.* hic te quid eſſet ὁρμάζειν docere potuit. At aliunde, quàm ex Salmaſio didicit. Itaque in Animaduerſionibus quid eſſet explicauit, & vnde id haberet oſtēdit. Quamobrem quæ tua frons eſt, dicere hoc abs te didiciſſe Petauium? Tum κακοήθεια & inſolentia quanta, qui Petauio eius vocabuli inſcitiam exprobras, quod eodem in opere rectè, & ad mentem tuam illum expoſuiſſe teſtis es pag. 110? Quam porro ſuauis es, qui Petauium putas tanti Commentaria tua facere, aut ei tantum à negotio vacare, vt in ſupellectili iſta Grammatica ſcrutanda tempus conterat! Sed quòd in egeſtatis tuæ pannos inuolaſſe Petauium cenſes; id mihi in mentem reuocaſti, quod in Notis tuis Hiſtoricis nuper occurrit. Dic ſodes vnde illud habes, quod pag. 33. de Myſterijs annotaſti? Nonne à Petauio didiciſti τὰ μεγάλα μυστήρια annua fuiſſe? Nonne hic in Notis Themiſtianis Scaligeri, Caſauboni, ac cæterorum hallucinationem detexit, qui ſacra iſta quinquennalia fuiſſe penè omnibus perſuaſerant? Quare & qui anno poſtea peculiare Opus ea de re ſcripſit, cùm in Petauianos Commentarios nondum incidiſſet, eiuſdem contagione erroris afflatus πενταετηρικὰ fuiſſe myſteria non dubitauit. Tu qui tam illuſtrem obſer-

*Anim-
mad.
Epiph.
p. 464.*

uationem in ieiunis tuis Aduerſarijs, & Grammatico apparatu non repereras, hoc ξένον ex Petauiana lucubratione furtim auerſum peſſimè interpolaſti: quod aliàs, vti ſpero, docebitur.

Salmaſii mendax calumnia; leuitas Grammaticuli ingenij; Petauius defenſus.

IN vocabulo *memorarijs*, mendax & calumniator es. Non dixit Petauius *memorarios* Latinè dici, ſed pro μεμοραρίοις ſcripſiſſe Epiphanium μημοραρείοις, quaſi *memorarios* Græca ſcilicet inflexione, & peregrina χρήσει dixiſſet, qui Latinè ſunt *memorial s*. P. 82.

De voce οὐά, vah? quanto conatu quantas nugas! Veriſſimum eſt, quod Petauius in Animaduerſionibus expoſuit, ouationem ab eiuſmodi vocibus appellatam eſſe, quas in Bacchi ſacris vſurpabant. Quod & Dionyſius L. V. prodidit. At Feſtus *ab eo clamore, quem faciunt redeũtes ex pugna victores milites*, vocem *ouantes* deriuat, *geminata O litera.* Ab iis acclamationibus, quæ in hilaritate, & lætitia frequentabantur, cuiuſmodi erant bacchanalia, *ouationem* deriuatam eſſe meritò Petauius obſeruabat. Hoc enim ab Halicarnaſſenſi, non à Salmaſio didicerat. Quod verò Xiphilini locum ſubiecit; non eò pertinet, vt ex illo probaret, ouationem ab iis lætitiæ ſignificationibus ortum habuiſſe; ſed quod eandem ἐπιφωνήσεως voculam contineret, quam Epipha-

nius expreſſerat. Atque illo ipſo loco Xiphilini, Xylander, & Sylburgius vocem οὐὰ non aliter ac Petauius interpretantur. *Oua Olympice victor; Oua Pythice victor.* Quin & alia lectio ἶϐα, non οὐὰ reddit. Triumphi porro ſpecies iſtîc à Xiphilino deſcribitur; quando rediens è Græcia Nero multis agonum palmis, & coronis ornatus triumphali pompa, atque curru in vrbem inuectus eſt. Quamobrem acclamationes iſtæ οὐὰ, οὐὰ, triumphales erant; & ouantium propriæ, adeoquę hilaritatis, ac lætitiæ. Nec tu probare certa vlla coniectura potes, voces illas apud Dionem οὐὰ, οὐὰ, eſſe *vah* Latinum, potius quàm acclamationis genus illud, quod cæteris in triumphis vſurpari conſueuerat. Denique in eadem iſta vocula, *vah*, vecors es, & ἀγραμμάτιστος. Negas enim interiectionem hanc lætitiæ, & hilaritatis eſſe. Quod quàm ſit imperitum, Grammatici te docebunt. Fruſtra & Petauium vexas, quod πλατυκῶς ſcribat, non πλατικῶς. Sic à βαρὺς fiunt βαρυκαὶ, & barycæ; quæ quid ſint pete ex Vitruuio, & Philandro li. III. cap. II. Si inſignis eſt inſcitia ſcribere πλατυκῶς pro πλατικῶς, non aliter magnus ille vir Scaliger ſcribere conſueuit. Vt cùm de Solſtitio loquitur ciuili, quod πλατυκῶς ait in 8. Iulij Iphiti ſæculo, & poſtea fuiſſe defixum. Occurrit nunc locus lib. I. de Emend. Temp. pag. 37. Verùm tu libros iſtos reconditioris doctrinæ ne aperuiſti quidem; neque, quæ tua plumbea tarditas eſt, intelligere potes. Quicquid Grammaticæ fines exceſſit, ſupra captum eſt ingenioli

tui. Τὸ πόρσω δ᾽ ἔστιν ἄβατον ἀσόφῳ Σαλμασίῳ. οὐ μὴν διώξει. κεινὸς εἴη.

Salmaſii in vna vocula fanaticæ intemperiæ: inſcitia ſuper Audianorum ſecta; cuius hiſtoria declaratur.

NImirum eſt illud veriſſimum, quod à me ſæpius audis: Cùm à tricis iſtis, & quiſquilijs Grammaticis receſſeris, ἰλιγγιᾷς, & idem pateris, quod Talpis accidere magnus Epiphanius docet Hær. LII. quod animal, *vbi è cuniculis & latebris in apertum aërem emerſit, ijs, à quibus captatum eſt, ludicrum de ſe ſpectaculum exhibet.* Inueniſti in vno loco, quod meritò tamen in Petauio reprehenderes: quatenus Grammatica res agitur: quicquid præter iſtud erat, in eo fatuè ridiculus fuiſti. Summa reprehenſionis, & capitale crimen interpretis eſt, quod in Epiphanij Anacephalæoſi participium vnum, καλοῦντες, omiſit. En cur imperitus; cur improba, & praua mente præditus, cur brutus, ac ſtupidus ſit; quod vocabulum καλοῦντες prætermiſerit. Epiphanius in Anacephalæoſi de Audianis loquens, οὐ συνεύχονται δὲ ἡμῖν, ait, ψέγοντες τοὺς παρ᾽ ἡμῖν Ἐπισκόπους, πλουσίους καλοῦντες καὶ ἄλλους. Ea cùm Petauius verteret, voculam vnam præterijt: De quo cùm eum, pro eo ac mihi notus eſt, conueniſſem; cauſſam capitalis illius ſceleris hãc fuiſſe comperi. Epiphanius Tomis ſingulis, qui in Pana- P. 84.

rio ſunt ſeptem, Indiculum ſiue Breuiarium Hęreſum, quę in vnoquoque Tomo diſputantur, præmittere ſolet. Ea breuiaria in vnum corpus poſtea collegit, ac ſeparatum librum fecit, quam Anacephalæoſin inſcripſit: ita tamen vt pauculas voces ſparſim, ac leuiſſimè commutarit. Hoc cùm ſciret Petauius, vt illum interpretādi ac deſcribendi laborem compendi faceret; operis mandauit, vt exemplum, ad quod æneos typos dirigerent, diligenter ſeruarent: ex eo poſtea folia illa legens, quibus indiculi continebantur, ea, vt Anacephalæoſeos Latina eſſet interpretatio, glutino commiſit. Ita factum, vt, cum eadem ſparſis breuiarijs, quæ in Anacephalæoſi continuatis, interpretatio reſpondeat, pauciſſima verò aliter in Græco Anacephalæoſeos, quàm in Tomorum initijs concepta ſint, interdum diſſimile aliquid appareat. Ex iis pauciſſimis fuit illud καλοῦντες, quod in Indiculo Tomi primi libri tertij pag. 808. in Epitome Audianę Hęreſis non extabat. Quare Latina iſta: *Nam & Epiſcopos noſtros, nec non diuites, alioſque condemnant*, reſpondent Græcis illis, à quibus abeſt participium καλοῦντες. Hæc Petauij purgatio plena ingenuæ ſimpliciſſimæque veritatis, à me illicô fidem expreſſit. Nemo erit, qui illam hîc legerit, quin ἀλαζονείαν tuam, ζηλοτυπίαν, & κακοήθειαν deteſtetur. Verùm nactus eſt tamen aliquid, in quod genuinum infigeret; inuenit ſcilicet quod vtcunque reprehenderet. Vnius vocis omiſſio in regno Grammaticorum parricidiale ſcelus eſt. Volo nunc quoniam ſcitus

& argutus in illa caſtigatione fuiſti; vt poſſes luſco dicere luſce, in cæteris oſtēdere te immaniter ac turpiter erraſſe. Scripſit Epiphanius Tomo illo III. in Epitome Audianorum, οὐ συνεύχονται δὲ ἡμῖν, ψέγοντες τοὺς παρ' ἡμῖν Ἐπισκόπους, πλουσίους, καὶ ἄλλους. Ita in Græca Baſileenſi, & in Manuſcriptis codicibus, quod & Cornarius ſecutus eſt. Omnes, inquam, poſt Ἐπισκόπους diſtinguūt, & πλουσίους ſeparant, hoc ſenſu, quem Petauius reddidit. *Communes nobiſcum orationes non habent. Nam Episcopos noſtros, nec non & diuites, aliosque condemnant.* Tu ὑποστιγμῇ ſublata, dici putas Ἐπισκόπους πλουσίους; & ἄλλους de Clericis alijs interpretaris. Stolidiſſimè, & præter Epiphanij mentem, atque hiſtoriæ veritatem. Primùm quis tibi interpunctionis illius ſolicitandę author extitit? Deinde falſum eſt quod tu tibi perſuades; neque Audianorum dogma ſatis percipis. Vbi id à me didiceris, tùm te infantię tuæ pigebit. Audius hæreſis illius conditor ab Epiſcopis, & Clericis vexatus, diuortium ab Eccleſia Catholica fecit; quod cùm in deprauatis illorum moribus caſtigandis nimis aſper, & aſſiduus eſſet, omnium in ſe concitaſſet odia. Conflato ſchiſmate paulatim ſecta coaluit, donec priuatos habuit Epiſcopos, eſtque penitus ab omni Catholicorum communione diuulſa: ita quidem vt cum nemine prorſus Catholico commune quicquam habere vellent, ob hanc vnâm cauſſam, quod cum Catholica communicaret. Quod quidem Theodoretus lib. IV. cap. IX. expreſſius declarat. Φάσκουσι δὲ τῶν Ἐκκλησιασ-

κῶν ἀπεσχοινίσθαι συλλόγων. ἐπειδὴ δέ τινες μὲν τὸν ἐπάρ-
τον εἰσπράττουσι τόκον. τινὲς δὲ γυναιξὶν οὐ νόμῳ γάμου συνοικοῦντες παρανόμως βιοῦσιν. οἱ δὲ τούτων ἀπηλλαγμένοι, τούτοις ἀδεῶς, κοινωνοῦσι; διὰ ταῦτά φασιν ἐκεῖνοι, καθ' ἑαυτοὺς βιοτεύειν. Aiunt ab Eccleſiaſticis cœtibus ſe eſſe diuulſos. Nam quia nonnulli (Catholici) deteſtandum fœnus exercent: alij cum mulieribus citra legitimas nuptias conſueſcunt, & nefariè viuunt: cæteri, qui horum criminũ ſunt expertes, cum illis promiſcuè communicant; ob id ſeparatim ſeſe dicunt ab reliquis degere. Tam ex his, quàm ex Epiphani verbis cognoſcimus, cur Audiani nominatim à diuitibus abhorruerint; videlicet quod fœnebre malum diuitum peculiare ſit. Igitur Epiſcopos Catholicos auerſabantur; & diuites fœneratores; & reliquos omnes, quod cum illis communicarent. Hæc interpretatio fatuæ illi tuę hęſitationi præſcribit. Cur Epiſcopos nominatim damnabant? Quia priuatos habere ipſi volebant: vti gregales tui Caluiniſtæ ſuos habent Epiſcopos, veteramentarios, fartores textores, tui ſimiles, garrulos, & imperitos. Qui ſunt, inquis, alij, quos Audiani vituperabant, præter diuites? Reſponſum eſt. Fac de Nouatianis Epiphanium loqui, qui quod lapſos recipiendos negarent, non ab iis ſolùm, ſed & reliqua omni ſe ab Eccleſia diſiunxerunt; & Epiſcopos priuatos habuerunt. Dicat ille ab Nouatianis damnari Epiſcopos Catholicos, lapſos, & cæteros, quod videlicet cum lapſis communicarent. Tu id ſcilicet reprehẽdas, & lapſorum nomen ad Epiſco-

ad Epiſcopos reſtringendum cenſeas. Igitur quoniam caput Eccleſiaſtici cœtus, & τὸ κύειον μέρος Epiſcopi ſunt; neque Nouatiani, vel Audiani, aut quiuis Hæretici ſuum corpus & σύ-ςημα prius habuerunt, quàm Epiſcopos Epiſcopis opponerent; hinc Epiphanius Epiſcoporum, quos illi damnarent, nominatim meminit. Vera hæc de Audianis eſſe, Theodoretus, & Epiphanius, poſtquam deſtertueris, tibi probabunt. Ex iis poſtremò illud πείσματος loco deducitur; in Anacephalæoſi, vocem illam, καλοῦντες, à ſciolo quopiam ad oram adnotatam perperam in contextum migraſſe; qui cùm videret πλουσίοις interpunctione, vti par eſt, ab Ἐπισκόποις eſſe diuiſum, putauit ad fulciendam ſentētiam aliquid deſiderari. Coniecturæ ratio firmiſſima hæc eſt, quòd in alio loco non comparet. Deinde quod hiulcam, & minus expeditam parit ſententiam. Tertiò denique, quia aliud Salmaſio videtur; cui rectum ac ſincerum eſt quod diſplicet.

Salmaſii ἀναιδέςατον *mendacium reuincitur. eiuſdem imperitiſſima ſententia de* λεπτοῖς.

PErgo iam ad λεπτολογίαν tuā de λεπτοῖς & minutiis: hoc eſt ἵππον εἰς πεδίον ago, & in regnum tuum te voco. Dixi iam tibi ſæpius: nihil te ſcire præter ea, quæ qui valde ſciat, tantidem ſit, ac ſi penitus neſciat. Hoc argumentum P. 89.

puſillæ, abiectæ indolis, ac ſordidæ tuis in omnibus ἐμπαίζει. Nunquámne te, Salmaſi! efferes; & in his crepundiis ac gerris miſerè cõſeneſces? Tot iam annos fœdiſſimè perdidiſti. Verùm hoc à me ingratiis licet exprimam, vti tecum ſic quaſi cum infantulo balbutiam, & in ludicris iſtis quàm bellus ſis artifex periculum faciam. Quanquam in aditu ipſo non puerile, ſed νεανικὸν, & robuſtioris impudentiæ mendacium iecisti. Negas dixiſſe te vnquam, aut docuiſſe, λεπτὰ vbique pro argenteis drachmis vſurpari, non pro æreis: ſed de Auguſtis duntaxat Hiſtoriis iſtud affirmaſſe. Si te καθόλου, & abſolutè iſtud ipſum, quod Petauius obiecit, pronunciaſſe probauero, adeoque impudentiſſimè mẽtitum eſſe, nunquid cauſſæ erit, quin vapules? Recognoſce quæ in Notis tuis ad Aurelianum Vopiſci pag. 355. columna 2. F. totidem verbis ſcripſiſti. *Sanè ſciendum Latinis minutos eſſe, quæ Græci λεπτὰ dicunt. Sed nec hoc ſatis. Argenteum numum fuiſſe, non æreum τὰ λεπτὰ, vt vulgò perſuaſum eſſe video, probandum eſt.* Tua hæc eſſe, Salmaſi, etſi non aliundè conſtaret; vſitata illa Grammaticorum tuorum Edictorum formula fidem faceret: *Sanè ſciendum.* Quò tandem docente? Quo? Magno & nouo Galliæ ſidere, Claudio Salmaſio. Nunc abs te quæro: Qui ita loquitur: *Sanè ſciendum Latinis minutos eſſe, quæ Græci λεπτὰ dicunt*: tum falli eos, qui eadem illa λεπτὰ dicunt æreum fuiſſe numum: num is aliud quàm negat æreos iſtos fuiſſe numos, quos quidem Latini minutos,

Græci λεπτὰ nominant? Quinam iudicio tuo falſi? Quibus cum vulgo perſuaſum eſt numorum genus illud ærenm fuiſſe. Quod? *Nempe quos Latini minutos, Græci λεπτὰ vocant.* Non dicis: quos Hiſtorici mei minutos appellant: ſed quos Làtini. At Latini tam minutos iſtos appellant, quos Hiſtorici tui commemorant, quoſque argenteos eſſe pertendis, quàm alios, quos modo æreos fuiſſe confiteris. Nam λεπτὰ Hiſtorici tui non vocant. Ergo λεπτὰ ſunt, quos Latini minutos dicunt. Hæc tu λεπτὰ; minutos iſtos; non, vt vulgò perſuaſum eſt, æreos fuiſſe, ſed argenteos numos pagina illa 355. diſertis verbis aſſeris. Quid porrò? An fidiculis opus eſt, quæ & prioris illius abs te ſtupiditatis, atque ἐναντιολογίας, cuius te reum meritò Petauius arceſſiuit, & huius ſtolidiſſimi, vaniſſimique mendacij confeſſionem extorqueant? Cedo quem voles arbitrum. Ni tu hoc, quod ego ſcripſiſſe te dico; quodque ἀναιδέστατα, καὶ κυνώτατα docuiſſe te negas, ſcripſeris, docueris. Nonnihil tamen hac Petauij ſcutica profeciſti, qui in tuis ſcriptis quid pudendum, ac retractandum eſſet, agnoueris.

Refellitur eadem inſcitia, & à ſuæ, hoc eſt Caluiniſticæ ſectæ, magiſtris eius diſſenſio traducitur.

AGedum quando mentitum te eſſe modò non negas, de λεπτοῖς & minutis Euãgeli-

cis, vnde tu me in iure manũ conſertũ vocas, inde ibi te reuoco. Petauius in Animad. ad Epiph. P. 446. neſcio quem notauit, qui λεπτὰ illa duo viduæ, quos Hilarius denarios vocat, veteres illos denarios fuiſſe diceret, vnciæ partem octauam: quique ita ratiocinaretur; Quadrantem, qui duos minutos habere dicitur, vnciæ partem eſſe quartam; proindeque minutum octauam eſſe partem vnciæ, hoc eſt drachmam, & denarium. Hoc ideo Petauius minimè ſe probare docuit, quod alioqui non pœnitenda iſta mendicæ contributio foret, ſi tantumdem erogaſſet, quantum ad ægroti, & moribundi curationem, & alimoniam benignus ille Samaritanus impendit. Adiecit natum ſibi ex eo videri ἀνωνύμου iſtius errorem, quod perſuaſum haberet, τὰ λεπτὰ non æreum, ſed argenteum eſſe numum. Hæc & id genus alia, quorum nonnulla poſtea referentur, ad eam rem à Petauio diſputata, ſanè εὐλογώτατα mihi viſa ſunt. Sed quis author eſſet tam abſurdi, tam iocularis commenti, vt vbique λεπτὰ putaret argenteos eſſe numos, ſiue denarios, hactenus ignorabam. Itaque non tam Petauij modeſtia, quàm vt eius, qui tam fœdè aberraſſet, famæ, pudorique parceret, factum interpretabar, eius vt nomen taceret, caſtigaret inſcitiam. Nunc' δὲ ὅτου παρακύψεως arcanum proditum eſt. Tu tuo miſer indicio te, quaſi ſorex, perditum iuiſti. Didici nunc primùm ex te, Salmaſi, eum te eſſe, quem ego ſcire nimium auebam. Quando tu adeo confidens es, vt impudentem te, & proteruum vi-

deri malis, quàm imperitum; & errorem tueri quoquo modo paratus ſis potius, quàm honeſtè deprecari, age quid tu tandem adferas noui, conſideremus. Status hic erat controuerſiæ: vtrum quæ Marcus minuta, ſiue λεπτὰ duo vocet, drachmę ſint, ac denarij argētei, an ærei, & minutiſſimi nummi. Tu argenteos denarios duos fuiſſe vis: cæteri omnes, pauciſſimis exceptis, æra minuta; cuiuſmodi à mendica fœmina (πτωχὴν enim χήραν Marcus appellat) oblata fuiſſe, nemo niſi tui ſimilis, & communis ſenſus πτωχός, probabile eſſe non videt. Miſſas facio antiquorum, ac recentiorum Interpretum authoritates; quæ in eo ferè conſentiunt, vt exile quodpiam & vile numi genus iſtud fuerit. Taceo veterem Interpretem, & Vulgatæ authorem Editionis, quam nos Catholici ex Tridentino decreto ſanctiſſimam habemus: cuique gregales tui Caluiniſtæ vel antiquitatis nomine deferre plurimùm ſolent. Quippe Lucę xxi. 2. vbi eadem illa narratur hiſtoria, λεπτὰ δύο, reddidit, *æra minuta duo*. Tu & hunc, & illos præ te contemnis vno. Quare validioribus mihi lupatis opus eſt, quibus contumax os tuum edomem, ac peruicaciam frangam. Dic mihi, Salmaſi; nonne profeſſione Caluiniſta es, & ex illo nupero grege, cuius παρασυναγωγὴ in luſtris Carentonijs ad Vrbem hoc in regno ſtabulatur? Vide ergo etiam atque etiam quid agas. Nam tua illa παρερμηνεία eius, in quam iuratus es, ſectæ magiſtris, ac Bibliorum Interpretibus minimè probatur. Deus tuus ecce Ioannes Caluinus illîc apud

Lucam λεπτὰ δύο, vertit, *æra minuta duo.* Vapulare is à te ſcilicet iubebitur. Verùm eſto: Lapſus in eo ſit author, ac magiſter tuus. Quid veſtris illis Bibliis facies, quæ in conuenticulis legere, vel cantare ſoletis? Lucas idem iſtorum ore ſic loquitur. *Il vid auſſi vne pauure veufue qui y mettoit deux pites.* Pitas duas quid tandem noſter idiotiſmus appellet, probè noſti. Sunt hę numulorum infimę ſordes. I nunc, & minuta illa Viduę drachmas, ſiue denarios interpretare. Bearunt te Miniſtri tui, quod hinc tanquam veſpæ iampridem euolarunt. Si hîc eſſent, næ tu ἀπονωάγωγος eſſes. Si tuus ille, cui à piſtrino nomen eſt, redeat, vel te aliquô ad molam ablegabit; vel à conuentu proſcribet. Téne auſum Caluino, & ſacroſanctis illis Bibliis ἀντοφθαλμεῖν;

De minutis viduæ Marci 12. *Salmaſii ſtupor.*

P. 90. SEd homo lepidus es. *Poſſum*, inquis, *& volo tibi oſtendere, Græcos ferè omnes paulò antiquiores τὰ λεπτὰ de drachmis accepiſſe, & ita illa δύο λεπτὰ viduæ interpretatos eſſe.* Audite, atque togam componite. Nimium illos antiquiores nominari cupio, qui λεπτὰ δύο Viduæ denarios argenteos eſſe iuſſerint, & totam Caluini factionem damnauerint, adſtipulante Salmaſio. Quis non promitti antiquiores illos audiens, Patres aliquos, imò verò Gręcos omnes Pa-

tres expectet, Origenem, Athanaſium Gregorios ambos, Baſilium, Chryſoſtomum, cæteros denique? Nam paulò antiquiores oſtendis omnes. Nihil horum. *Extat apud me,* (ὁ οὗτος loquitur) *fragmentum Heronis de re nummaria antiquum, in quo hæc leguntur.* Omnes illi Græci antiquiores in vnum Heronis fragmentum redacti ſunt, quod penes ſe Salmaſius habet. Nam præter Heronem, alium attuliſti nullum. Quos enim tanquam ſecutores adiungis, Epiphanius, & Heſychius, nihil ad rem pertinent, vt à Petauio didiciſti, & à me paulò pòſt docebere. Hîc ſi te ego tuo cum fragmento valere iuſſero; ſi nullũ penes te fragmẽtũ eſſe dixero: ſi ſuppoſitum abs te; ſi deprauatũ; ſi, ſimillimè ac Tertulliani nuper Pallium, interpolatũ eſſe contẽdero, quid hiſces? Sed eô nolo cõfugere. Heronis dico verba, quomodo à te relata sũt, non illud teſtari, quod aſſeris: minuta duo viduæ, duos argẽteos fuiſſe denarios. Cùm enim Siclũ dixiſſet appellari Κοδράντην, & eſſe drachmas duas: alio, vt ais, loco ita ſcribit. Δηνάρια δὲ ἦσαν ἐκεῖνα δύο τὰ ὑπὸ τῆς χήρας εἰς τὸ γαζοφυλάκιον βιβλημένα, ἃ καὶ δύο λεπτὰ ἐκαλεῖτο. *Denarij, inquit, erãt illi duo, quæ vidua in Gazophylaciũ proiĳcit, quæ & duo minuta dicebantur.* Quis negat fuiſſe denarios? Hoc Petauius ex Hilario nõ ignorauit. Sed denarios ad reliquorũ mentẽ, imo verò Caluini, & Caluinicorũ Bibliorũ, accõmodauit, vt ęrei ſint numi. Quod vel Hero voluit; vel quid aliud ſenſerit, tũ ſciemus, cũ egregiũ illud fragmentum, quo in vno antiquiores omnes Gręci continentur, nobis ſincerũ, & ἄδολον, καὶ ἀσαλμασίαστον, neque ſubęratum reddideris.

Λεπτὰ Euangelica non eſſe drachmas, aut denarios. Salmaſii ἀχειοσία.

MVltum deinde ſudas, & cornu copiæ tuum Grammaticum effundis, vt λεπτὸν eſſe drachmam, ſiue Romanum denarium perſuadeas. Neque hoc Petauius vnquam inficiatus eſt, λεπτὸν quandoque pro drachma ſumi. Sed hoc vnum admonuit, vbicumque λεπτὰ legũtur, non ſtatim drachmas intelligi, ſed plerumque minutos æreos: quod tu imprudentiſſimè negaueras, & hoc poſtremo libro diſſimulare, ac reuocare conatus es. Sed fruſtra. *Petauius Animad. p. 449.* Audi illius verba. *Quod autem τὸ λεπτὸν, vel ὁ λεπτὸς ſolitariè ſumpta argenteum numum apud authorem vllum ſignificent, ac citra ſubſtantiui nominis adiectionem, non temerè inficiari audeam. Illud ſcio, ex ijs omnibus, quæ ad id oſtendum allata ſunt* (à te videlicet in Notis ad Hiſtoricos) *nihil eiuſmodi perſuaderi poſſe.* Hac ſi tu moderatione vſus eſſes; neque ſolenne illud tuum præcinuiſſes: *ſanè ſciendum*, non iam nobis ipſis, non poſteris ludibrium deberes. Cedo Scriptorem vllum, qui quidem extet, qui λεπτὰ ſimpliciter δραχμὰς appellet. Ego nullum legi; neque legiſſe ſe Petauius aſſeuerat. Quod ſi quem Hiddelbergæ, aut in Chriſtianiſſimi, quam frequentas, Bibliotheca Regis quempiam nactus es, præter illud Heronis fragmentum, cur tu illum nobis inuides? Nam de

Herone

Herone, quem in ſinu tuo foues, Petauius diuinare quî potuit? Tametſi duo illa Viduæ minuta, non vt denarios, ita drachmas appellat Hero, imo & ἀσσάρια λεπταπίλεπτα nominat. Hæc enim verba; τὰ γὰρ ἀσσάρια λεπτεπίλεπτα ἦσαν, interpretamentum ſunt iſtorum, ἃ καὶ δύο λεπτὰ ἐκαλεῖτο. Vt aliud genus, ac ſignificatio τῶν μναείων ſit, quæ λεπτὰ dicũtur, quam eorum, quę centena in minam imputantur: quomodo & λεπτὰ ὁμωνύμως accipiuntur. Sed de Herone tuo videris. Denique etſi λεπτὰ pro drachmis aliquando ſumi, negandum non ſit; oſtende id Euangeliſtarum temporibus vſitatum fuiſſe. Neque enim demõſtrare potes, Neronis æuo λεπτὸν vel minutum pro drachma, ſiue denario ſimpliciter vſurpari. Quare ſiue Marcus Latinè ſcripſit, ſiue Grçcè, minuta, vel λεπτὰ de drachmis, aut denariis, non accepit. Animaduerte quàm puerili iudicio ſis, qui diſtinctiſſima illa tẽpora, ſine vllo delectu, confuderis. p. 91.

Salmaſii ſtupidiſſima hallucinatio.

SAtin' hactenus intellectum eſt, quid tu hominis ſies? quàm audax, quàm in errore ſuſcipiendo præceps, quam in ſemel ſuſcepto pertinax? Nihil agimus, niſi ita frontem tuam contundimus, vt obloqui, ac reluctari non audeas: quod me ſcio certiſſimè hoc capite eſſe facturum.

Scribis pag. 93. *Planum eſſe, nuſquam alibi in* p. 93.

ſacra ſcriptura vocem κοδράντης *extare, niſi apud Marcum, Cap.* XII. *vbi* κοδράντης, δύο λεπτὰ *eſſe exponitur.* Miſer homuncio quid loqueris? Siccine famæ, exiſtimationiſque tuæ ſecurus es, vt quid dicas, apud quos dicas, quo tuo periculo dicas, ante nón cogites? Vox *quadrantis* Matthæi v. 26. legitur. Αμὴν λέγω σοι, οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν, ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην. *Amen dico tibi: non exibis inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Quo te vertes, Salmaſi? Quos autem de te riſus Vrbe tota futuros putas? Quis ſic vnquam delirauit bipedum, planum vt eſſe diceret, quod tam apertè mendacij conuincitur? Si quos vno apice dece-
247. ptos, in vna aut altera vocula hallucinatos exiſtimas, eos aſinos, ſtipites, caudices appellandos cenſes, nec te aliter vnquam nominaturum denuncias: quis clitellis quam tu iuſtius ornetur; qui in tanti momenti re adeo κτηνώδης, & ſtolidus fuiſti? Ac ne paruum illud eſſe dicas; ſcitó hoc vno Matthęi teſtimonio tuam imperitiam, ac proteruiam retundi, qui quadrantem, didrachmum apud Marcum eſſe defendis. Non enim, opinor, quadrantem aliter Matthæus ac Marcus vſurpauit. At ἔσχατος κοδράντης Matthæo numus eſt minimus. Vult enim debitum vilem ad aſſem imo ad inferiorem aſſe numum, extremumque adeo, perſolutum iri. Magiſtrum audi tuum, & ſilè. Caluinus in Harmonia. *Quadrantem* (ait in hunc locum) *eſſe quartam partem aſſis notum eſt: hic autem pro teruncio, vel minuta alia pecunia capitur: quemadmodum etiam*

x *Luca patet.* Lucas ſanè idem quod Matthæus referens ἔσχατον λεπτὸν ſcripſit. Ergo κοδράντης, & λεπτὸν idem ſunt. Et ideo nonnullis Interpretibus viſum eſt, ſingula minuta ſingulos apud Marcum eſſe quadrantes. Sed λεπτοῦ vox promiſcuè minutas ad ſpecies transferri ſolet.

Salmaſii ἐναντιολογία *quadruplex; qui quatuor contradictoriarum paria ſcriptis ſuis tuetur.*

NIhil verius eſt, quàm quod in Animaduerſis de te dixi: Multa te in locis communibus habere Grammaticularum, ac puerilium obſeruationum excerpta, quæ tu ſparſim ex Vocabulariis pari laboris ac temporis iactura corraſiſti. Ea, ſicubi opportunum videtur, profundere geſtis, & ad Lectorum tuorum vſque nauſeam oggerere. Itaque nullum tuum Scholion ſine frigida aliqua originatione, & ἀπαιδολογίᾳ. *Hira hilla, ſtira, ſtilla, ſiciput, ſinciput; à pario fit pallium: purus eſt puer: à* κορπὸς *fit* κορμὸς *: ſtera, à ſtella: ſtic pro hic: ſto pro iſto :* λουερον *pro* λώερον *:* μοιρῶ *,* & μωρῶ *: ſtoria pro hiſtoria: denigebat, pro defigebat : hoc decus, & hic decor: decontra, & contra : decolorum pro decolore: de hoc, pro huius:* βελφῖνες *pro* δελφῖνες*: cinga, & cingula à cingo, &c.* Hæc & id genus alia cùm inconditè, vti fit variis, ex Authoribus collecta in Excerptis habeas, neceſſe eſt multa ibi pugnantia, & contraria reperiri. Ea

tu poſtquam ſub vno lemmate in locis communibus notaſti, ſine vllo delectu ac iudicio, promis indidem, neque quàm conſentanea ſint, reſpicis. Ita fit vt eadem diſputatio plerumque contrariis obſeruationibus ſecum ipſa pugnet; nec aliis, quàm quas imprudens affers, rationibus validius reuinci poſſis. Quod cùm dilucidè in Animaduerſis oſtenderim, volo idem hoc tibi capite monſtrare, & multarum ac magnarū abſurditatum, hallucinationum, ἐναντιολογιῶν conuictum confeſſumque reddere; vti omnes intelligant, quàm deſultoria ſit Grammatica tua, quámque in tanto næniarum apparatu, iudicij nihil, ac ne ſenſus quidem communis adhibeas. Præcipua, & quæ ad præſentem controuerſiam pertinent, ἐναντιομαχίας capita hæc ſunt. *Mulieris illius viduæ* λεπτὰ, *drachmæ ſunt, ſiue denarij: Eadem drachmæ non ſunt ſiue denarij Romani. Hæc quatuor vel quinque ſolidos noſtrates valebant: Imo quadruplo amplius.* λεπτὰ *iſta Viduæ in Talento ſexies mille fuerunt; Non ſexies millena, ſed duodecies fuerunt.* λεπτὸν *idem Heſychius* νόμισμα ἓν *eſſe dicit: Non dicit eſſe* νόμισμα ἓν, *ſed duo* λεπτὰ, νομίσματα τρία. Si te paucis iſtis paginis quatuor hæc ἀντιφατικῶν paria, & his fortaſſe plura, docuiſſe planum fecero; ſatin' inſcitiam tuam, ἀκρισίαν, & ἀναισθησίαν traduxero. Primum caput eſt: Salmaſium docere; *Viduæ mulieris* λεπτὰ *duo, eſſe drachmas, ſiue denarios Romanos; & non eſſe.* Redeamus ad fontem ipſum diſputationis. In Notis ad Hiſt. Aug. P. 355. *Minuti*, inquit, *vel minutuli dicuntur*

apud hos authores, quos DENARIOS *dicebant veteres, qui denarij, & drachmæ ferè pondus, & æſtimationem habebant.* Mox. *Heſychius dicit* λεπτὸν *eſſe* ἑξαχιλιοστὸν ταλάντου. *Quis neſcit autem talentum ſex millibus denariorũ, vel drachmarum valuiſſe? Sic* λεπτὰ δύο *in Euangelio Hilarius in Enarratione Pſalmi* CXXVIII. *exponit duos denarios.* Subiicit Epiphanij teſtimonium, quo drachmæ duæ totidem illa minuta vocantur. Inde ita concludit: *Minuti igitur, vel minutuli omnibus locis huius hiſtoriæ ſunt, quos* DENARIOS VETVSTIORES *vocant authores; quorum viginti quinque aureum vnum efficiebant.* Hæc Salmaſius. ex quibus illud habetur; λεπτὰ duo viduæ drachmas fuiſſe, hoc eſt denarios Romanos, quorum idem pondus fuit cum drachmis duntaxat Atticis. Itaque non Alexandrina drachma, ſed Attica debet intelligi: quæ ſola paris cum denario Romano, ac vetere ponderis fuit: tum quod ſolæ Atticæ xxv drachmę aureum vnum efficiunt, Alexandrinæ duos. De his autem drachmis Salmaſius loqiutur, quarum xxv aureum faciunt. Eadem repetit in Confutatione Animaduerſorum noſtrorum. Nam pag. 88. Petauium reprehendit, quod illa Viduæ minuta, ſi drachmas interpretaremur, non ſatis diceret mendicæ mulieris egeſtati congruere. Contra quæ ſic obiicit. *Mirum eſt, Cercocti* (Cercoctium videlicet putauit eſſe Petauium) *te duas drachmas magnas diuitias putare: quatuor, aut quinque ſolidos noſtræ monetæ, non pœnitẽdam largitionem vocas.* Item pag. 90. ex Herone pro-

bat, λεπτὰ viduæ fuiſſe denarios, idemque & pag. 92. ac ſequentibus declarat. Doceo nunc alteram τῆς ἀντιφάσεως partem iiſdem locis defendi. Pag. 93. demonſtrat λεπτὰ illa Viduæ, illum κοδράντην, hæc ipſa λεπτὰ, ipſum eſſe quadrantem, quorum ab Epiphanio, & Heſychio mentio fit: quod & in Notis ad Hiſtoriam Aug. ſcripſerat. Huius Epiphaniani, & Heſychiani Talenti partem ſex milleſimam iiſdem in locis ait eſſe λεπτὸν vtrumque mendicæ viduæ. Porro Pag. 98. Talentum iſtud Epiphanij, & Heſychij Alexandrinum eſſe dicit, quod duplum erat Attici, vti & drachma Alexandrina dupla fuit Atticę. Ita τὸ ἑξακισχιλιοστὸν μέρος Epiphaniani, & Heſychiani Talenti fuit λεπτὸν vnum viduę: atque adeo duplum Atticæ drachmæ, ſiue denarij vetuſtioris. Denarius vetuſtior eiuſdem erat cum Attica drachma ponderis. Ergo λεπτὸν viduæ duplum fuit denarij veteris. Falſum eſt proinde minutos Viduæ, quos Epiphanianos & Heſychianos facis, denarios eſſe: quæ erat contradictionis altera pars à te dicta, à me verò demonſtranda. Hæc noſtra paulò enucleatior accuratiorque ratiocinatio fuit, quo tuam ludificationem atque γρύψιν excluderet; teque omni ex parte conſtringeret. Tuæ iam erunt, Salmaſi, partes vel hæc negare à te eſſe ſcripta, vel quomodo vera ambo eſſe queant oſtendere.

Reliqua ἐναντιώματα ex hoc vno propagantur. Secundum erat, aſſerere te; λεπτὰ *duo Viduæ quatuor, aut quinque ſolidos noſtrates valere;*

& non valere. Quorum alterum verum eſt, vtrumque eſſe non poteſt. Quod quatuor vel quinque ſolidis æſtimentur, ſcribis Pag. 88. In quo mirum illud, & riſu dignum eſt, quod λεπτὰ, duo quinque ſolidis taxas. An duo ſimul, id eſt quadrantem, non pluris æſtimas? Valdè in re numaria peregrinus es, An ignoras iam tum ætate Budæi, denarium Romanum, hoc eſt drachmam, duodenariis ſolidis tribus & ſemiſſe taxatum fuiſſe, cùm argenti Marca non pluris quam XI. vel XII. Frãcicorum eſſet? Ita duo tum denarij ſeptem ſolidis valebant. Hodie, cùm Marcæ pretium duplo fere maius eſt, ſinguli denarij ſeptem ferè ſolidis æſtimandi ſunt. Quare duo λεπτὰ quos tu denarios vis eſſe, XIV. ſolidorum pretium habent. Cæterùm cùm, vt oſtenſum eſt, eadem λεπτὰ ſingula duorum fuiſſe denarioru dixeris; ambo illa XXVIII. ſolidis noſtratibus æſtimantur, ſextuplo vel ſeptuplo pluris quàm à te taxata ſunt. Vides ἀλογίαν. Tertium ἀντιφατικὸν in primo demonſtratum eſt. Quartum ita colligitur: Pag. 94 λεπτὸν Viduæ, & Heſychianum ait eſſe νόμισμα ἕν. Pag. 95. *Quo ſenſu*, inquis, *νόμισμα ibi acceperit Heſychius* (nempe quod pag. antecedente ex eodem dixeras eſſe λεπτὸν) *ex eo liquet, quod apud eum ſequitur: ὁ δὲ κοδράντης, inquit, νομίσματα τρία, quæ heic νομίσματα vocant, alibi νουμμία appellat, hoc eſt nummulos*, in voce *ἀσσάριον· τὰ δὲ δύο λεπτὰ κοδράντης εἷς, ἤγουν νουμμία τρία.* Manifeſtè duo λεπτὰ ſcribis eſſe νουμμία, id eſt νομίσματα τρία: quod cum ſuperiore pugnat. Iamne vi-

des? iamne ſentis, quàm inſulſè, putidè, barbarè, paucis illis in paginis conflicteris, ac tibi contradicas ipſi? Aut fatere, Salmaſi, tibi Excerpta tua fraudi fuiſſe, imò ſtuporem, inſcitiamque tuam; aut Grammaticam tuam iſtinc expedi; ſed apertè, ſine fuco, ac tergiuerſatione, palam & vno verbo ad ſingula fac occurras. Nihil eſt quod æquè cupiam, atque audire quid reſpondeas.

Heſychij & Epiphanij loca diſcutiuntur, deque iis, Salmaſii temeraria & abſurda ſententia: tum eius inciuilitas, & feritas.

IN Heſychij & Epiphanij locis quos ludos feceris, proximè vidimus. Merito Petauius vtrumque corruptiſſimum eſſe cauſatus eſt. Ni ita eſt, cur non eos nodos diſſoluis, quos ille propoſuit? Heſychius in voce Κοδεάντης, ait; Quadrantem eſſe τὸ πᾶν, ἢ τὸ τέταρτον τοῦ φόλεως, ἢ λεπτόν. Ergone quadrans viduæ quarta pars eſt follis? At cuius? An vt βαλλάντιον eſt? Atqui nimium eſt immane, vt centum & viginti quinque denarios argenteos erogarit. An follis ærei? Hoc neceſſariò debes dicere. Si dixeris, refelles quod penitus perſuaſum habes, Κοδεάντην Heſychij Euangelicum eſſe quadrantem. Deinde ſi κοδεάντης Marci duo λεπτὰ continet, quî tandem λεπτὸν erit? quod Heſychius docet. Si

λεπτὸν

λεπτὸν eſt ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου, idem eſt autem λεπτὸν, & κοδράντης, conſequens eſt κοδράντην Marci, id eſt Heſychij, eſſe partem ſex milleſimam Taſenti; ideóque λεπτὸν vtriuſque, quod idem facis, duodecies milleſimam. Ad hæc κοδράντης ait eſſe νόμισμα ἕν: item νομίσματα τεία. Denique ἔσχατον κοδράντην, τὸ τέταρτον τῆς φόλεως. Alibi in voce Ἀσσάριον, Ἀσσάριον eſſe tradit idem ac λεπτόν, hoc eſt ſex milleſimam Talenti partem, ὅ ἐστιν ἓν ἥμισυ λεπτοῦ. τὰ δὲ δύο λεπτὰ κοδράντης εἷς, ἤγουν νουμμίαγ'. Quis iſta conciliet? Qui quidem νοῦ σαλαγμὸν habeat, non committet, vt ex iis certi aliquid, indubitatique proferat. Tu qui Grammaticas iſtas quiſquilias conuerris, ac delingis, negas iudicio iſtîc vel prudentiæ eſſe locum. Itaque ἄνω καὶ κάτω miſces, & incondita copia nos obruis. Vno verbo: nego tibi conſtare quid νόμισμα ſit apud Heſychium. Nego λεπτὸν eius, drachmam eſſe, vel denarium Romanũ: quod tu ipſe negas, & affirmas. Nego te intelligere quid ſcribas, cùm tam abſurda, & pugnantia ex eiuſdem authoritate profiteris: Epiphanij loca duo reſtant, quorum de altero paulò pòſt. In priore dicit ἓξ λεπτὰ ταλάντου ſeptem aſſes, hos verò, ſeptem eſſe denarios. Tu Petauio inſultas, quod eius mentem non ceperit. Amabo te quæ eſt iſta λυγγυθρωπία; quæ barbaries? quæ φρενῖτις, hominẽ inceſſere, & ei calces illidere, qui in prodigiosè corrupto, vt ipſemet loqueris, Epiphanij loco faſſus ſit ingenuè quod neſciret? Si in te, non dico verecundiæ: quæ quid ſit prorſus ignoras: ſed ho-

minis, præter figuram, ineſſet aliquid, an tu eum vel leuiſſimè reprehenderes; qui prodigiosè corrupta verba non ſe intellexiſſe fateretur? Hæc ipſius verba ſunt. *Quæ ſint Talenti*
Peta. *λεπτὰ, quorum ſex ſeptem aſſibus valeant, quæue*
Anim. *ſeptem aſſium λεπτὰ, centum æſtimata denariis, qui*
P. 426. *docuerit, magnam à me gratiam inibit.* Quid habes quod in illis accuſes? Si tu certi aliquid afferres, nec adeo ὀνοκενταυρικῶς inſilires, magnam inijſſes ab illo gratiam. Neq; tu tamen, pro hoc tuo conatu, eius, quam ignorabat, explicandæ quæſtionis, gratiam omnem penitus amittes. Hanc illius nomine repræſento, interim dum eam ipſe tibi ἀυτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον referat. Sed eò reuertor: Cùm igitur prodigiosè corruptus ille ſit locus, quid Interpretis interfuit? Credo prodigium aliquod edere, & quid in vetere illa, quam non habebat, Epiphanij verſione legiſſes, diuinare debuit. Si Regiæ vnde iſtam accepiſti, Bibliothecæ forulos omnes, omnes codices ſcrutatus eſſet; aliquid inde fortaſſis ad illius deploratiſſimi loci interpretationem felicius attuliſſet. Nunc illius ſibi Verſionis nonniſi confecta re, copiam dicit fuiſſe. Ita nec ille commiſit quicquam, quod iure reprehendas, & in grauiſſimis, ac certiſſimis tuis erratis, omnem tibi veniæ locum ademiſti.

Petauius à Salmaſii reprehenſione defenditur.

EIuſdē te, Salmaſi, inciuilitatis ac vecordię altero in Epiphanij loco reuincam. Tu in Petauium iniquus es, quod ex corrupto loco, & à multis tentato, à nemine verò ante te mortalium omnium intellecto, ſenſum, quem potuit, exſculpſit. Quid attinet furere? Epiphanij verba non tu, ſed alius quiuis ſedatus atque æquus arbiter expendat. Cùm dixiſſet: Τὸ δὲ ἄργυρον, τοῦτό ἐστιν, ὃ Ρωμαῖοι μιλιαρήσιον καλοῦσιν. *Argenteus verò eſt, quem Romani miliariſium vocant*: tum de διχρύσῳ ἀργύρῳ quædam ſubieciſſet, pergit deinde: φόλλης, ὃ καὶ τάλαντον καλεῖται. διπλοῦν δέ ἐστιν, ὑπὸ δύο ἀργύρων συγκείμενον, οἳ γίνονται σν΄ δηνάρια· καὶ φόλλης δύο λεπτοὶ κατὰ τὸν δηναρισμὸν, ἀλλ᾽ οὐ κατὰ τὸν ἀργυρισμόν. Qui ἄργυρον paulo antè certum numi genus appellauit, & mox follem ὑπὸ δύο ἀργύρων συγκεῖσθαι docet, an aliud ἀργύρου genus intellexiſſe videri poteſt, quàm quod proximè definierat? Erit ergo follis τάλαντον è duobus argenteis conflatum. Talenti vocabulum Petauius oſtendit interdum P.444. exiguam eſſe pecuniolam; ita vt Rheginum non pluris quàm vnius Victoriati fuerit: ad hæc, in Cod. M.S. Regio pro σν΄ δηνάρια, ſcriptum eſſe κ΄. hoc eſt xx. Quamobrem cùm alioqui follem argenteum numum extitiſſe, certis indicijs conſtaret, vt P. 450. & 451. de-

clarauit, demum ita coniecturam ſuam expoſuit, vti follem duorum argenteorum λεπτῶν ſiue μιλιαρησίων nummum eſſe diceret. Quod autem βαλλάντιον apud Græcos nunquam pro numo ſimplici ſumatur, ſed ſit ἄθροισμα numorum, iccirco malle ſe vulgata editorum omnium, & nonnullorum etiam manu ſcriptorum adſcita lectione, ſcribere παλάντιον, quàm βαλλάντιον. Dubitari non poteſt, quin ſi integer ſit Epiphanij locus ille, probabilior expediri interpretatio nulla queat. Itaque hęc ipſa Petauij ratio ad vulgatam, & communem lectionem tota pertinet. Sin aliud Latina vetus verſio ſuggerit, vatem ſe eſſe negat, vt quod non viderit, ariolari debeat.

Salmaſii ἀλογισίαι, κορυβαντιασμοὶ prodigioſiſſimi.

NVnc tuam ſententiam paululum excutiamus. Primùm in Epiphanij contextu quàm multa ex ingenio commutas! Latina, vt ais, Verſio ſic habet. *Follis, qui & ballantion, id eſt ſacculus à duplicatione nominatur: duo namque ſunt, ac ſemis argentei, qui faciunt minutos denarios duos.* Tu pro, duos, ais legendum CCL. Quî licet? Erras nimirum. Denarij illi, qui in minam centeni imputantur, Herone tuo teſte; λεπτοὶ non dicuntur: ſed miliarenſes eo nomine cenſentur; quorum cxxv follem, vt eſt ἄθροισμα, conficiunt. quod diſertè in Gloſſis

Nomicis legitur, quas Pag. 432. Petauius citat. Deinde perſpicuum eſt, Epiphanium duplex follis genus diſtinguere; cùm ait, διπλοῦν δὲ ἐστιν. Et barbara eſt Latina iſta verſio, cùm reddit; *à duplicatione nominatur*. Præterea quæ tua iſta confidentia eſt, vt ex Epiphanio quatuor voculas eradas, quæ quod dico mirum in modum confirmant? καὶ φόλλις δύο λεπτοί. En alterum follis genus, æreum videlicet. Duos λεπτοὺς ait eſſe follem, quem follęralem nominant. Hûc pertinent verba illa Latinæ veteris, *minutos denarios duos*, non, vt παραποιέεις, CCL. Sed deprauata eſt iſta verſio, & ex Græco ſupplenda. Verùm ita nihilominus exiſtimas; Epiphanium de eo folle loqui, de quo Gloſſæ Nomicæ, cùm dicunt CCL. denarijs conſtare, qui faciũt libras CCCXII. vncias ſex. Sed in tota hac diſputatione tua mirificè perplexus, inconditus, hebes ac vecors es: vt quid tibi velis, quæque ſumma ſit ἀπεράντου iſtius ἀδολεσχίας, exequi difficile ſit. Paucis hîc ſpecimen dabo leuitatis, inconſtantiæque tuæ, téque, vt ſoles, contraria & ἀσύστατα loqui faxo vt intelligas. Scribis pag. 96. & 97. λεπτὰς, de quibus agunt Epiphanius, & Heſychius, eſſe ſex milleſimam talenti partem: atque ita Epiphanium corrigis: ἑξακισχίλια λεπτὰ ταλάντου, ἃ λεπτὰ καλεῖται ἀσσάρια. Eadem ergo λεπτὰ aſſes appellas. Ex eo genere viduæ apud Marcum λεπτὰ fuiſſe, iam ex te didicimus; idque repetis pag. 99. hoc eſt drachmas, ſiue denarios Romanos veteres. Eiuſmodi porro centeni in minã incurrebant; vt apud Epiphanium legis. Iam verò idem hîc

Epiphanius aſſes in denario ſexaginta numerat; centum in mina denarios; quem ἀργυροῦν vocat. Ita in mina ſex ſunt aſſium milia. Et tamen ita concludis. *Et ſanè verum eſt Talentum centum viginti quinque librarum, aſſium, hoc eſt* ἀσσαρίων *ſex millia habere.* Pecudem te oportet eſſe non hominem. Dic mihi, Damœta, in Talento minæ quot ſunt? Nonne in eo, quo de Heſychius, & Epiphanius, centum viginti ſunt, libræ vero CXXV? Si minæ ſingulæ cētum denarios, denarij ſinguli aſſes LX. continent, erunt in talento 720000. ἀσσάρια, quæ tu tamen ſex millia duntaxat numeras. Pergis, & *Octo*, inquis, *& quadraginta eiuſmodi aſſes* (nempe quos in denario ſexaginta numerari ex Epiphanio docuiſti) *in libram incurrebant. Hinc ſi calculum ponas, centum viginti quinque libras, quarum ſingulæ quadraginta octo aſſes habent, ſex aſſium millia efficere deprehendes. Sic talenti centum & viginti quinque libras complexi, ſexta milleſima pars aſſis, vel* ἀσσάριον, *quod* λεπτὸν *etiam dixere. De hoc talento igitur, & de his* λεπτοῖς *intellexit cum Epiphanio Heſychius.* Quot in iſtis verbis apices, tot ſunt ἀλογισίαι, & κορυβαντιασμοί. Monſtrum hominis; & literarum carcinoma! quid ais? quid cogitas? quanta iſta aſinitas eſt, & fatuitas? Epiphanius & Heſychius dicunt λεπτὰ eſſe ἀσσάρια; ea in denario eſſe LX; denarios in ἀργυρῷ centum. ἀργυροῦν eſſe minam ex Herone ſcribis Pag. 91. in fine, & initio 92. & pag. 105. ex Epiphanio. Minæ ſunt in Talento Heſychij & Epiphanij CXX. hoc eſt libræ CXXV. adeoq; denarij 12000. quos per aſſes ſe-

xaginta multiplica. Cõfient aſſium Epiphanij, & Heſychij, hoc eſt λεπτῶν, millia ſeptingenta viginti. Tu non amplius ſex millia computas. Quæ eſt iſta logiſtice? Non tu verò pro cerrito circunferendus es. O infelices literas, quæ ad iſtas ingeniorum ſordes reuolutæ ſunt! Tene quempiam appellare ſtupidum? Te literas vllas attingere? Te doctrinæ nomen arrogare tibi? Non hinc denique, atque ex huius Vrbis cõſpectu procul aufugies, qui tantam ex prodigioſa hac inſcitia nomini tuo labem adſperſeris? Et audes ab Rege ſperare ſtipendia, qui ad iſtarum artium opprobrium, ad Galliæ noſtrę dedecus natus, Mendeſius vti quadrupes, carduis ac furfuribus paſcendus es.

Salmaſii ſtupendum & brutum delirium.

PErgam porro & aliud ex tuis ſcriptis brutæ ſtupiditatis ſpecimen eliciam. Gloſſę Nomicę, quarum inſignem locum Petauius pag. 432. deſcripſit, hoc ipſum docent, quod & tu pag. 104. & 107. ſcribis, duplex genus eſſe follis. Nam alius eſt σταθμός, quod & βαλάντιον vocatur, qui denarios pendit CCL. ſiue libras CCCXII. vncias VI. ita vt denarij ſinguli, libram vnam, vncias tres pendant. Alter follis eſt, ἐξ ἀργυρείων λεπτῶν συναγόμενος, qui ex minutis argenteis colligitur, numero CXXV. qui ſunt

miliarenſes ; quorum quilibet ſiliquę vnius, & $\frac{3}{4}$ pondus habet : Vniuerſi ſiliquis conſtant CCXVIII. & nummis IX. Hos tu miliarenſes λεπτῶν longè grauiores drachmis facis pag. 100. *centum quippe drachmæ in libram cudebantur, cùm ſexaginta tantùm miliarenſes in libram incurrerent.* Si miliarenſes λεπτοὶ argenteis drachmis haud paulò grauiores erant, ergo & denariis Romanis, quos eiuſdem cum drachmis ponderis eſſe dixiſti. At verò pag. 107. denarios veteres, ſiue drachmas, quarum centenas minę, ſiue ἀργυρῷ grandiori imputas, ais ſexdecim aſſes continere. *Nemo enim*, inquis, *vnquam plures quàm ſedecim aſſes in denario numerauit.* His denariis à Gloſſario putas aſſignari aſſes
P.105. LX. hoc eſt libram vnam æris cum vnciis tribus ; quam ſummam ſequente pagina redigis ad aſſis veteris quadrantes ſexaginta quatuor: quos quidem aſſes veteres quadrantes vnciæ effeciſſe doces pag. 105. Quare ſexaginta quatuor decimę ſextæ vnciæ Romanæ ſunt in denario illo ; cuiuſmodi centum in mina ſunt. Ita fit vt ſinguli denarij, ſiue drachmæ Atticæ, quæ ſola eiuſdem eſt cum denario veteri ponderis, pendat vncias quatuor Romanas, hoc eſt trientem libræ Romanæ, ſiue dimidiam marcam aurificum noſtratium. Atqui miliarenſis quilibet, hoc eſt λεπτὸν, quod drachma, haud paulò majus extitit, ex iiſdem Gloſſis pondus habuit ſiliquæ $1\frac{3}{4}$. Quanto minus eſt pondus iſtud quàm drachnæ, ſiue denarij? Denarius tuus, cum IV. vnciarum pondus habuerit, quælibet autem vncia ſiliquas colligat

CXLIV.

CXLIV. ſi quater haſce duxeris, efficies denarij ſiue drachmę pondus ſiliquas 576. Et tamen ex tuo calculo, miliarenſis, qui haud paulò grauior erat drachma, ſiliquas duas non æquabat. Amabo te, quiſquis iſta legis, confer hæc, quæ dico, cum locis ſingulis, quos ex Salmaſij Confutatione fideliſſimè repræſentamus. Si cauillandi calumniandique cauſſa vel apicem vnum addiderim, nolo fidem mihi deinceps vllam habeas. Sin oculis tuis credere potes; ſi hoc præſens intueri; ſi denique conſtare hoc probarique poteſt; eſſe Lutetiæ Pariſiorum hominem, qui ſe literatum dici, haberique iubeat: imo verò qui doctrinarum omnium penes ſe ſummam eſſe velit; qui hoc tam immane, tam horribile monſtrum plenis paginis pepererit, DENARIVM VETEREM ROMANVM PONDVS HABVISSE TRIGINTA DVORVM OCTANTVM VNCIÆ ROMANÆ, QVÆ SVNT QVATVOR VNCIÆ, SIVE DIMIDIA MARCA ARGENTI: Eſtne vt ad hoc oſtentum procurandum non Etruſcos omnes aruſpices adhibendos exiſtimes? Tu hæc, Salmaſi, totidem verbis expreſſiſti paginis illis, quas adnotaui. Quid iam Pariſienſes de te, quid Galli cæteri, quid Itali, Germani; quid omnes nationes dicent? quod de te iudicium ferent, quorum in manus ſcripta illa tua peruenerint? Emori te ſatius erat, aut in omni vita tua nihil niſi cucurbitas pingere, quam hæc in lucem edere, quæ qui humaniſſimè de te ſentiat, ſanum cùm ſcriberes, vel ſobrium fuiſſe non iudicet.

Vno verbo, Salmaſi, huic reſponde ſi potes.

Dicis pag. 96. *ἀργυρίων*, ſiue minam denarios
P. 91. in fine habuiſſe centum: hos eoſdem denarios drach-
p. 92. mas eſſe paſſim doces; quales centum in *ἀρ-
γυρῷ*, ſiue *μνῆ*, hoc eſt mina ſunt. *λεπτὸν*, inquis pag. 92. *igitur argenteum idem quod denarius, vel δραχμή*. Eiuſmodi interpretaris Euangelica illa fuiſſe *λεπτά*. Atqui pag. 105: eoſdem denarios, ſiue drachmas, quales centum habuit mina, ſcribis pondus habuiſſe libræ vnius, vnciarum trium; vnde follem, qui CCL. denariis conſtabat, pondere fuiſſe librarum CCCXII. vnciarum ſex: quod ſubinde copioſius enarrans, denariis aſſes ſexaginta, ſingulis aſſibus quartam partẽ veteris aſſis attribuis, qui olim quarta pars erat vnciæ. Quo fit vt aſſium ſexaginta pondus quatuor vncias æquauerit. Ita denarius tuus, quem ſiliquis duabus haud paulò leuiorem facis, ſiliquas pendet 576. Si ex hoc te cœno cum clitellis excuſſeris, dignũ te putabo, qui, vt ſacer quondam Athenis aſinus, publico hordeo ſagineris. Vide aliud monſtrum. *Λεπτὰ* Viduæ ſunt denarij, ſiue drachmæ. Huiuſmodi in Talento, quod CXXV. libras, minas CXX. capiebat, fuere ſex millia (Pag. 95. 99. 100. & alibi paſſim.) Cùm ergo ſexies milleſima pars Talenti Heſychiani, & Epiphaniani fuerit *λεπτὸν* vnum Viduæ; duo verò ſimul, ter milleſima; porrò Talentum idem centies vicies centum denarios ſiue drachmas colligat (vt iiſdem locis affirmas ex Herone, & Epiphanio) adeoque ſint in Talento denarij ſiue drachmę duodecies mille, conſequens eſt, *λεπτὸν* Viduæ duos continere denarios, duo *λε-*

τιὰ, quatuor. Non erit ergo iam idem λεπτὸν, quod denarius.

Reliqua Epiphanij παρερμηνεία *Salmaſiana diſcutitur.*

HÆc documento eſſe poſſunt, quam feliciter Epiphaniani loci vlcus attigeris, cũ duos ab illo folles diſtingui putas; alterum qui κατὰ δηναρισμὸν vocatur, denariis conſtantem ccl. alterum, qui κατ' ἀργυρισμὸν dicitur, ex minutis argenteis. Ergone denarij argentei non ſunt? Imo verò & λεπτοὶ, & miliarenſibus iſtis λεπτοῖς haud paulò leuiores (vt ais pag. 100.) Itaque cxxv. miliarenſes cùm ſexageni in libram incurrerent, denarij verò, ſiue drachmæ, centum, pondere haud multum à ccl. denariis illis diſtabant, & follis à folle. Atqui ex iiſdem Gloſſis liquet, ccl. denarios, ex quibus follis prior conſtituitur, libras pendere trecentas duodecim, & eo amplius; centum verò, & viginti quinque miliarenſes, ſiliquas ccxviii. hoc eſt vnciam vnam, & ſiliquas civ. Quare ex diuina tua logiſtica, & rei numariæ peritia, vnciæ duæ paris ferè ponderis erunt atque cccxii. libræ. Nonne ἐμβρόντητος es? Redi ergo in viam, & cum Petauio velis nolis interpretare, duos λεπτοὺς κατὰ τὸν δηναρισμὸν, eſſe minutos duos æreos, qui follæralem conſtituunt, ab argenteo numo, qui follis dicitur, diuerſum. Quod enim follis ar-

gentei numi vocabulum ſit, docere te poteſt Petauius Animaduer. pag. 444.

Quid ais præteres pag. 102? *Vocem βαλάντιον Græci neque pro ſingulari numo; neque pro coaceruatione numorum vnquam acceperunt, vt apud Latinos follis interdum acceptus eſt.* Stertis, an vigilas? Follis enim, vt eſt ἄθροισμα, βαλάντιον à Græcis dicitur. Βαλάντιον nunquam pro numo aliquo ſingulari ſumitur.

Mira Salmaſii hallucinatio, qui numorum pondus cum pretio imperitè confundit.

Libet iam tot hallucinationum tuarum tibi cauſſam, & originem pandere. Adeo nihil ſupra infantiam ſapis, vt diſtinguere neſcias inter ὁλκήν, ſiue σταθμόν, & pretium; ſed ambo iſta miſerè confundas, ac permiſceas. Cauſſam reddis pag. 105. cur ſingulis denariis Gloſſæ Nomicæ tribuant pondus libræ vnius, & vnciarum trium. Eam putas eſſe, quod denario ſexaginta aſſes competant, quorum quadrageni octo libram explent. Ita LX. aſſes libram æris, & tres vncias efficiunt. Falli tamen Antiquos illos aſſeris, quatenus aſſes iſtos, qui ſexageni in denarium incurrunt, arbitrantur eiuſdem cum veteribus ponderis fuiſſe, videlicet vnciæ quadrantis: cùm quartam partem illorum duntaxat habuerint. Ex qua tua ἀλογιστίᾳ directè ἄτοπον illud concluditur, quod ſuprà vidimus; denarium ſiue drach-

mam ponderis fuiſſe vnciarum quatuor. Itaque Vidua illa dimidiam argenti Marcam ex præclara tua computandi ſolertia in Gazophylacium proiecit; hoc eſt XXII. Francicos noſtrates. Si tu iudicij, vel communis ſenſus haberes paulò plus aſino ſagmario, animaduertiſſes ſcilicet, denario ſedecim aſſes olim aſſignatos, non ratione ponderis, ſed pretij. Denarij pondus fuit paulò plus, quàm Attica drachma: quę tu ambo nimis imperitè, pueriliterque confundis. Huius æſtimatio decem primum, inde XVI. aſſium fuit. Atque vt grauiores primum, inde leuiores denarij cuſi ſint, nunquam tamen ad æris pondus, quod δυνάμει, & pretio continebant, acceſſerunt. Apparet nullos te denarios vnquam vidiſſe, qui tam ineptè de re numaria diſputes. Iam verò denarij illi, quos in folle CCL. Gloſſæ conſtituunt, pondere ſingulos vnciarum quindecim; itaut CCL. iſti libras colligant CCCXII. numorum non ſunt, ſed ponderum nomina. Vel Gloſſas ipſas audi. Φόλλις σταθμός ἐστι, λεγόμενος καὶ βαλλάντιον. *Pondus eſt*, inquiunt, cuius item partes pondera ſunt, non vero numi. Niſi forte argenteum numum libralem Hiddelbergæ in Palatini Comitis Muſeo vidiſti.

Eodem imbutus errore ſcribis aſſem alium argenteum, alium æreum fuiſſe: neque Lexicon tuum vetus intellexiſti, quod de aſſe argenteo perſpicuè docet, ponderis eſſe vocabulum. Ἀσσάριον τοῦ ἀργυρείου σταθμὸς γραμμάτων ἕξ. vt idem ſit pondus ac didrachmi. An ideò *p.* 98.

aſſis argenteus eſt numus? Eſt, inquis. Imo &
P. 99. aureus, ac ſolidus? Quid ita? *Quoniam ſolidus aßis dicitur. Nam μονὰς eſt aſsis; & præterea treſſis ſunt tres ſolidi.* Eodem rationis acumine perfeceris, centum aureorum millia aſſem aureum eſſe; quoniam hæredem ex aſſe facere dicitur is, qui tantumdem in bonis habens hæredi reliquit. Neſcis aſſem ad quælibet integra, & ſolida referri, quæ in partes diuiduntur; neque tamen κυρίως, & ἰδίως aſſes appellari? Sane hæc apud nos pueri ſciunt. Talenti triens vel quadrans ſunt drachmarum duo millia, vel mille ducẽtę quinquaginta. Hęc ab aſſe vocabula deriuantur. Nec iccirco Talentum propriè aſſem, & numi genus eſſe credideris. Memineris itaque cùm de re Numaria ſcribes, argenti vel auri pretium à pondere diſcerni. Cuius haud adeo reconditæ rei inſcitia quantam tibi calamitatem attulerit, etſi iam edoctus es, illuſtriore te exemplo commonebo.

De Plinij loco inepta Salmaſii ſententia reiicitur.

P. 92. PLinius, ais, denarium Romanum argenteum in ſexaginta partes diuidit, quas denarij ſexageſimas appellat, lib. XXIX. cap. I. *Et quarumdam*, inquit, *rerum ſexageſima vnius denarij imperata eſt:* & cap. III. *pineique corticis duabus ſexageſimis denariorum.* Mox ita colli-

gis : Cùm in obolo decem chalci à nonnullis conſtituantur , ſexageſimas illas particulas Plinij eſſe chalcos. Pagina verò 106. poſtquã lepidã illam χενοσομάθειον de ſexagenis denarij partibus explicuiſti, cuius portentum proximè diſcuſſimus; ſcribis quadrantes aſſis veteris, quę ſunt decimę ſextæ partes vnius vncię, eas eſſe, quas ſexageſimas denarij partes Plinius appellat ; quæ tametſi propriè ſexaginta quatuor ſint, tamen excurrens ſumma negligitur. Addis cõuenire iſtud cum eorum Græcorum moneta, qui decem chalcos obolo tribuebant. Vt oboli ſex in drachma, ita chalci ſexaginta, qui ſunt quadrantes Romanorum, ſexageſimæ, ſecundum Plinium, partes denariorum. Ex poſteriore loco paginæ 106. colligitur denarij, ſiue drachmæ pondus fuiſſe ſexaginta quatuor quadrantum aſſis veteris, hoc eſt ſexaginta quatuor decimas ſextas vnciæ quatuor. Vncia drachmis conſtat octo, drachma ſex obolis. Chalci in obolo conſtituuntur à te decem. Ergo in vncia chalci P. 92.
ſunt 640. in quatuor vnciis : (qui eſt denarius à Salmaſio Triumuiro A. A. A. F. F. cuſus , cuiuſque charagma eſt, Ονου παρατομή,) ſunt chalci 2400. Huius ſexageſima pars ſunt chalci 40. ſiue oboli quatuor. Ita ſecundum Arithmeticam Salmaſij, denarij ſiue drachmæ bes, eſt ſexageſima pars drachmæ , & drachma vna idem eſt, quod triginta duæ drachmæ. Tum quia pag. 92. docet ſexageſimam partem denarij eſſe chalcum ; vnus chalcus idem erit quod quadraginta chalci. Si

vel tyro eſſes Mathematicæ; imo ſi ſupra pecudem ſaperes; ſcires εἰς ἀδύνατον compelli, qui coguntur fateri; totum parti ſuę æquale eſſe. Tu quadragies maiorem partem toto facis. Sed Salmaſius es. Qui hoc dicit; ſatis dicit.

Multiplex Salmaſii in re Grammatica inſcitia, barbaries, ἀχρισία.

PRiuſquam ab hac λεπτολογίᾳ diſcedo; tuam in re Grammatica ſupinitatem, & obſcitantiam perſtringam. Doces pag. 103. talenti vocem nunquam de ſingulari numo ſumi, ſed eſſe pecùniæ ſummam, & numorum ἄθροισμα. Ita iſtud affirmas, quomodo ſupra κοδράντην non alibi extare, quàm Marci xii. At ô Grammatice! itane nunquam Feſtum le-
P.444 giſti, vt ignores quod ex eodem Petauius obſeruabat: *Neapolitanum talentum ſex eſſe denariûm; Syracuſanum trium: Rheginum Victoriati?* Victoriatus, numúſne, eſt, an ἄθροισμα; Quid ſentis?

Proxima hinc aſinitas, quod eadem pagina negas ταλάντιον ſignificare poſſe talentum paruum. *An neſciebas* (inquis) *huiuſce formæ* ὑποκοριστικὰ *ex neutris nunquam deriuari ſolita, ſed ex maſculinis? vt* θύλακος θυλάκιον, σπουδὸς σπουδίον, *& ſimilia ſexcenta?* quis ξύλιον, ἀπὸ τοῦ ξύλου, *pro paruo ligno?* Cùm nihil præter Grammaticam in omni ætate tua tractaueris; cùm

tot

totannos iam in Vocabulariis, & eiuſmodi quiſquiliis contriueris; quis tam bardum, tam in illa ipſa, quàm præ te fers, arte peregrinum, & imperitum crederet; vt ad protrita & vulgaria iſtæc offenderes? Nullúmne, ô cucurbitæ caput! ὑποκοριστικὸν, à neutris hac forma deriuatur? Ergo à κόμμα non fit κομμάτιον: à δῶμα, δωμάτιον, ab ἀπόσπασμα, ἀποσπασμάτιον; & alia ſexcenta? Nam καθόλου, & vniuersè canon tuus à neutris vetat diminutiua formari. Forſitan hoc te dices de neutris in ον deſinentibus cauiſſe. Cedo vnde hanc regulam expiſcatus es? Vno verbo, ſtolidiſſimus es Grammaticus. A πρόβατον, fit προβάτιον, quod eſt *ouicula*. à νεῦρον, fit νευρίον, *neruulus*, aut *funiculus*. à σπάρτον, σπαρτίον: à σφυρὸν, σφυρίον, à ζώπυρον ζωπύριον, à χεῖλον, χείλιον. Sexcenta id genus occurrent, quæ ſcio te in locis communibus adnotaſſe: ſed tum cùm canonem iſtum Grammaticum ederes, minimè cogitaſſe. Et audes, mulio, *Petauij mulinum pectus*, *Cercoetij aſininum cor* appellare, quod παλαίτιον à πάλαιτον inflexum ſit. Hem! quot loris dignus es pro hac inſcitia! Nam quæ tua demum eſt argumentatio? Non fit, inquis, ab ὄψον, ὀψίον, à ξύλον, ξυλίον: ergo nullum ὑποκοριστικὸν à neutris formari licet. Eodem modo ratiocinaberis: Non fit à *multus multulus*; à *magnus magnulus*; ab *dominus*, *dominulus*. Ergo neque à *paucis* fiet *pauculus*: à *paruus*, *paruulus*: à *ſeruus*, *ſeruulus*. Ex hoc diſce, quàm ſis Latinæ, Græcæque proprietatis intelligens. Sed miror te de vtriuſque barbarie ſermonis au-

ſum mentionem facere; qui tam fœdè in Tertullianeis Notis, & alibi ad hæc impegeris. Tu ille es, qui *ire mortuum* vſurpaſti pro *mori*; & *mortuum*, *mortuu* dici pronuntiaſti, vti *redditum redditu*. Quod & in Confutatione de-
P. 115. fendis. *Si morior*, ais, *facit in præterito mortuus ſum, quidni & in ſupino mortuum mortuu?*

P. 239. Tu idem es, qui *ponere veſtem* putaſti Latinè dici, pro eo, quod eſt, *induere*: nec à me monitus reuocaſti. quia, inquis, βάλλειν ἐσθῆτα, dicunt Grȩci. Primùm quoties analogia fallit? Deinde an quia βάλλειν λίθους eſt *iacere lapides*; ideo Latinè dices, *ponere lapides*, pro iacere? Tu idem *hoc tractum* vſurpaſti neutro genere, in aſinino illo commentario, quem contra Sirmondum de Suburbicariis Eccleſiis infeliciſſimè publicaſti; à quo tu quidem pro eo, ac merebaris, exceptus & fuſtibus abactus, alios allatrare cœpiſti. Hæc enim tua verba ſunt pag. 64. *Totum illud regionis tractum, quod ab Vrbe ad centeſimum vſque intercedebat Italiæ nomine neutiquam donauit.* Ne *tractum* neutro à te genere poſitum neſciremus, duplici eiuſdem generis pronomine eius latera ſtipaſti, *illud*, & *quod*. Hæc ſi à Chronologo, vel Theologo ſtribiliginum oſtenta proficiſcantur, tolerabilia ſunt: In Grammatico, cuius fortunæ omnes in nominum, ac verborum ſupellȩctili poſitæ ſunt, perinde eſt

Ac iugulo ferrum ſenis immerſiſſe parentis.

Sed finis ſit. Nam cætera, cùm ad me itidem reliqua tua peruenerint, propediem cognoſces.

Epilogus ad Salmaſium.

NVnc vt te, Salmaſi, paucis abſoluam, certe vides in vno Confutationis tuæ capite quantum ignorantiæ, ſtultitiæ, temeritatis, oſcitantiæ, & cuius non denique vitij ac maculæ? congeſſeris. Si in vna corporis particula, quam tu cæteris elegantiorem, & ſaniorem fore ſperaſti, tanta vis vlcerum & carcinomatum inuenta eſt, quid de reliquis expectandum eſt, in quibus non craſſior quidem inſcitia tua eſt, ſed vulgo tamen manifeſtior. Nam hæc de λεπτοῖς, & minutiis numorum, in quibus ad prodigium vſque imperitus, ac vecors es, nihil tam vereor, quàm ne propter rei tenuitatem, non ſatis emineant, & in oculos incurrant. Quanquam ſic à me declarata eſſe confido, vt nemo, qui quidem oculis, vel animo captus non ſit, cùm illa leget, non ſtatim intelligat, eiuſmodi tua eſſe peccata, vt pro regia, quam tibi venditas, annona, per omnem ætatem, in piſtrino aliquo molam verſare, & ſi id tibi amplum ac glorioſum ducis, regio ex ærario paleis ac furfuribus victitare debeas.

Sed nimis iam diu me ineptiæ tuæ detinent; & ad iter penè accincto moram iniiciunt. Nam in Aremoricam noſtram, vt ſcis, poſt biduum cogito. Ibi te tamen interim non negligam. Dedi operam, vt ſimulatque ouum

poſueris, quod olim parturis, confeſtim ad me mittatur. Vbi id accepero, tibi non decero, mi Salmaſi: ac ſi mihi ad ea, quæ hoc in libello propoſui tibi, reſpondere potueris, quid de eo, quod à me poſtulas, facturus ſim, videro. Petis enim, vt quicquid in Libris tuis
P. 87. hallucinationum, ineptiarum, λήρων, καὶ φλυνάφων obſeruatum habeo, id adnotem, ad téque mittam. Difficilem rem poſtulas, Salmaſi, miniméque neceſſariam. Niſi fortè tantum mihi ſupereſſe putas otiĳ, vti libros tuos omnes integros exſcribam; cùm præſertim iam cuſos iſtîc habeas. Vt enim id agam, quod petis, integri tui Commentariĳ deſcribendi erunt. Pauca tamen fortaſſis, ac quæ prima ſeſe nobis offerent, tibi ad ſpecimen offerentur. Interim vt quam in partem id ſis accepturus, & quemadmodum reſponſurus mihi ſis, periculum faciam, vnum tibi, quod mihi forte ſuccurrit, explicandum relinquam. Memini me alicubi in Notis tuis ad Hiſtoricos legere; Nouatiànos, ſiue Catharos contrario ac cæteri ſolent, more veſtitos fuiſſe: ita vt anulos in pedibus; pedules & bracas in manibus geſtarent. Tua iſta verba ſunt. *Nam contrarÿ reliquo hominum generi agebant illi Cathari, & anulos in pedibus; pedules, & bracas in manibus geſtabant*. Mirã rem narras, & quæ pro eo atq; inſignis eſt, memoriæ meæ altiùs inhæſit. Tu authorem iocularis iſtius commenti adducis Epiphanium; qui id in Catharis confirmat. Quanto Criticæ, & Grammaticæ bono ſis natas, vel ex hoc vno cognoſci poteſt. Epipha-

Salmaſ. in Notis ad Hiſt. Aug. P. 223.

nius Hær. LIX. quæ eſt Catharorum, Edit. Pétau. N. XI. illum ipſum habet locum, quem citas: ſed longè diſſimili; ita me Deus amet, ac putas, ſententia. Nam tua perquàm illepida eſt, & inſcita. Ibi ergo Catharorum importunitatem & imprudentiam Epiphanius notans; qui nullo ordinũ delectu ſeueriorem ex æquo omnibus diſciplinam indicerent; nec quæ Clericis & Sacerdotibus mandata, quæ Laicis conceſſa, diſcernerent; vt illorum conuincat ineptiam, ſimilitudine quadam vtitur. Velut, inquit, ſi quis decori, & congrui ratione omni neglecta, calceos inducat capiti, coronam pedibus, & ventrem torque aureo cingat, aut pedules, vel bracas in manibus gerat: Itidem, inquit, & Nouatiani faciunt, qui ea quæ ad ſacerdotes propriè pertinent, ad vniuerſos Chriſtianos transferunt. Lege hunc Epiphanij locum. Etſi nunquam adduci potes, vt errata tua, quamlibet conuictus, agnoſcas: non te adeo ſtipitem, aut hebetem puto fore, vt non ad hoc monſtrum totus expaueſcas, ac tuam ipſe ſtupiditatem accuſes. De hoc igitur vbi mihi ſatisfeceris, tum reliqua tua haud paulò atrociora, & ſtolidiora pertexam. Vale interim, & reſipiſce.